TRIVMPHVS
Thaumaturgæ Virginis
S. TERESIÆ à IESV,
FVNDATRICIS
Ordinis Diſcalceatorum
CARMELITARVM
cum
accepto nuntio, de eius felici inter
Divos et commemorabiles
adscriptione,

CRACOVIÆ,

PRIMVM EIVS SOLENNE

INTEGRAM EDVRANS HEBDOMADAM
INCOMPARABILI CVM CELEBRITATE,
& incredibili cum humanorum
affectuum ardore,
sub finem Iulij, Anno D. 1622,

celebraretur:

à

M. LAVREN. SMIESZKOWICZ
TYLIC. Eloquentiæ Professore,
debitæ pietatis ergò,

ad imaginem olim triumphantium
Romae conscriptus Eidemq' Virgini per
Sanctae ac eius sacratae soboli
dicatus.

Prosphonisis dedicatoria.

TERESIÆ familia sacratissima,
Veneranda proles matris admirabilis,
Relapsa cælo seculis hisce vltimis
Casci Heliæ propago, Carmeli decus,
Selecta germina ciuium cælestium,
Miracla mundi, Ecclesiæ nitidissima
Iubaria reprimentia tenebras seculi:
Qui, grandibus animis graues ineptias,
Inflata ventis, gloriæ crepundia,
Lenocinantis & vaferrimi illius
Latronis, & graphici Sycophantæ nimis
Mundi potenter respuistis, ob Dei
Cordatum amorem; geminâq; peripsemata,
Quasiq; purgamenta carnem olentium
Fieri cupîstis, mentibus celsissim[...]
Vos nunc mî adeste, queis c[...]
Atq; inde tranquillata vis affectuum,
Nudi pedibus, at spiritu magis intimo;
Mellea furoris cælici placamina,
Gratissimæ Deo hostiæ, accensæ integræ,
Propter libidinantis orbis crimina.
Vos qui salutem quæritis non bona hominum,
Quiué miserè agitis, vt sit aliis quàm optimè,
Mundo procul, procul eius astragalis, quibus
Par ludit impar, vt suam sortem ferat.

Adeste mî Patres mei dulcissimi,
Sine fraude, sine fuco, sine dolo, bonæ animæ,
Pauperrimi, mitissimi, intenti Deo,
Nulli molesti, pacis & cupidissimi;
Non lucra nati ad vestra, sed ad vsum omnium,
Sunt quorum opes, timor Dei atq; nuditas,
Quos prædiorum nulla cura lancinat,
Quos non honorum vrit sitis; procul & abest
Mentita Christum vanitas, plurimùm opulens.
Adeste spectatum triumphum amabilem
Vestræ parentis, quæ Deo vos parturit:
Non quem egit olim Roma petulantissima,
Sed quem reposcit Sanctitas ipsissima.
Si modò licet tenuare modulis humilibus
Tanti triumphi granditatem maximam.
Verùm in piis, magnis licet facinoribus,
Quicunque rectè voluit, opere functus est.
Itaq; mî adeste & hanc opellam admittite,
Quam Academicus Academico dicat animo,
Hac luce desponsationis mysticæ,
Dum vestra mater, sponsa facta altissimi,
Prendit coronam interminabilis osculi,
Fit & honor eius cernuus in Ecclesia.
Ergo agite læti hoc tam triumpho nobili,
Assymbolosq; Academicos ne credite.
Corona vestra est, tanta matris gloria,
Corona nostra est, matris huius gloria.

Signa

Signa triumphalem currum præcedentia.

TYPVS I.

Infantulus Hercules elidens & suffocans angues.

HErcule maior, dia TERESIA,
Animi magni maiora dedit
Documenta, nimis virgo tenellula,
Anguis vafri vafra consilia,
Et quicquid serpit humi, acerrimo
Nisu elidensque trucidansque.
Infans æuum nondum egressa,
Cum vix annum tangit septimum,
Spectate, quibus ludis occupet
Qualiuè trocho, teneram ætatulam.
Æquali cum fratre RODERICO,
Duo vermiculi, parua animalcula,
Nati in magnum cœli obsequium,
Horas sacras, diuum officium,
(Creditis annon mundicolæ homines?)
Vatis sancti carmina sancta,
Oretenello, ac infantilibus
Linguis vltro citroque alternis
Cantillabant, & balbutie

Puerili ſacra meditabantur.
Quid quòd in horto genitoris ſui,
Cellas humiles, arcta habitacula,
Sibi fingebant, & eremo ceu
Clauſi, ſcenam diuiniſsimi
Operæpretii iam tum agitabant.
Ecce ſed illud mage miraculum.
Pigmêi gemini, par puſionum,
Ambo puſilli pulli, bellula
Fraudiſque exors conſociatio,
Grandes Diuûm primitiæ, duo
Agnelli, duo corcula, primulum
Ætatis ver, ambo puelluli;
Coniurârunt mediam in Turciam
Pergere, & iſthíc gladio percuti
Pro venerando nomine CHRISTI.
Et iam tam grande iter arripiunt
Animæ teneræ, & feſtinant mori
Propter CHriſti nomen honorum;
Donec patruum fors obtruderet,
Itere à medio, qui, retraxit
Præmaturos nimium Martyres,
Tacitâ voluens mente futura.
O ſecretum cæli maximum,
O ſententiam inexuperabilem,
Calamo præſcripſit quam adamantino
Deus ille parens, cuilibet hominum?
Hanc ad metam quilibet impetus,

A cunis

A cunis & prima infantia,
Pede collimat ſic hæſuro:
Quiq; in Sanctis numerandus erit,
No nhic puerum genius deſeret.

Typus II.

Hercules Hydram colubris & capitibus pullulantem ferro & face opprimens, item leonem, aprum, & taurum interimens.

CEntum bella videns virgo TERESIA,
Pugnasque impauido pectore cogitans,
Foſsis & validis turribus edita
Propugnacula deſiderat, vndique
Muro cingere ſe non penetrabili, &
Vallis, terra quibus plurima adurgeat
Gibbos, tergemino robore conditos:
Hinc vt denſa ruant, imber vt, impium in
Hoſtem ſpicula; nec vulnere perdere
Confidens iaculis improbitas queat
Hoſtilis, timidam pacem agitantium.
Ergo molliculis de ſtationibus
Mundi, deq; domo mille periculis
Obſeſsâ fugit, & relligioſum init

Clauſtrum

Claustrum, clamq; aliis clamq; domesticis,
Iam se perpetuo carcere mancipat.
O quos illa gyros solicitudinum
Hîc perpessa fuit, verbere quàm stetit
Quassata hîc vario: quos Erymanthios
Vrsos, quos & apros, Marmaricas leas,
Tauros, & colubris horribiles Hydras
Fæcundas capitum, non sine maxima
Lucta perdomuit, vinclaque subdidit
Victis, terribilis docta negotij.

Languebat rabidis percita tædiis
Sanctam ingressa fugam, propositum tenax
Mentis, quæ est melior pars hominis, ferâ
Oppugnante anima, iamque sui immemor,
Facta est sensuum inops. Ista rebellio
Et præfracta animi motio cùm viget,
Hæc audentiùs it seq; animat ferox;
Quamq; aggressa viã est, perficit, haud malo
Cedens impetui, culmen & occupat.

O quicunque hominum tendis in optima,
Non credam hoc ego, nî tendis in ardua.

Typus

Typus III.

Hercules Antheum ſublatum terra contrucidans.

VIdes vt altum proruit Antheum
Vis Herculis? quiq́; ante domabilis
Nequaquam erat, dum corpus eius
Terra tenet, reparatq́; greſſum:
At poſtquam ab imo corporeus Gigas
Sublatus almi eſt viribus Herculis,
Emarcuit vis eius omnis,
Datq́; manus meritis catenis.
Corpus reluctans alma TERESIA
Perſenſit olim, multaq; prælia
Depræliata cum hoc, rebelles
Illius extimuit ſagittas.
Examinatis nil rationibus,
Hortatibus nil profuit aggredi
Hoſtili obarmatum furore,
Semper in hoc docile, vt repugnet.
Ergo relictis ſuaſibus irritis,
Intaminatæ virginis illa mens

Ex celſa, cælo ſe integram infert;
S[illegible]nſibus & viduata brutis,
Corpus lutoſa è materie ſatum
(Trahens deorſum particulam Dei,
Quæ inſerta corpori caduco eſt)
Retrahit: vtq́; habitare cælo
Condiſcat, vrget; moleq́; ponderis
Centro recurſans attenuat nimis;
Humoq́; adhærentem iſtum aſellum
Niſibus Herculeis reuellit.
Sic Diua cælo ſecla perennia
Victura, corpus fecerat impigrum
Aſcenſibus celſis Olympi:
Ponderibusq; ſuis grauatum
Leuabat alâ præpete ſpiritus.
SIC quiſquis hæres ſydereæ domus
Olim es futurus, condocere
Corpus in hancce viam ſtudeto.

Typus IV.

Hercules Geryonem tricorporem conficiens.

Ingens

Ingens Geryon, sinuosa molle tricorpor,
Persensit dextram Hercule dignam.
Quàm mage monstrosas vno ortas corpore laruas,
Ter geminato robore diras
Vicit, sternendis famosa TERESIA monstris?
Carnis dira cupido, oculorum
Deinde cupido furax, vehemensque superbia vitæ
Hostes confecti iacuêre.
Scilicet humanis est indita sæua medullis
Flamma vrens præcordia, legi
Valde inimica internæ, nata reniti,
Ireq; in aduersum omnia contra,
Quæ iubet æternis mens legibus informata,
Iusque Iouis suprema tenentis.
Hanc sequitur satiêi expers oculata cupido,
Quæ lynces imitata videndo,
Harpyias, oculis aliena vorando, figurat.
Hinc pomposa superbia vitæ,
Os humerosq; gerens resupina, alios reputansq;
Vna præ se, villius alga.
O quàm restinxit rabiosæ incendia carnis
Alma virago TERESIA, & ô quàm
Calcauit fastum turpem, innocuos & ocellos
Continuit sancta in statione?
Inspice, qui dubitas, vitam, ac exempla prehendens
Isto Diuam carmine adora,
Quàm meritò pulchro est inserta TERESIA cælo,
Quæ vera in terris Dea vixit.

Typus V.

Hercules, Ceruam aeripedem & aues Stymphalides, interficiens.

O Virgo reparas in noua prælia (tuis
Dextram: monſtra licet tot pedibus
Sint ſubiecta, gemantq́;
Anthêi cum Geryonibus.
En alas agitans turgida opinio,
In ſanctis etiam materiem mali,
Per ventoſa popelli
Flabra cum Zephyris, mouet.
Hîc ò quàm fuerat cauta TERESIA,
Gnara in non minimo ſtare periculo,
Expendens adamuſſim
Quis mentem genius premat.
Adſtabant pauidæ hîc ſolicitudines,
Et mens, quę ſibi nil vendicat, omnia
Infra quàm meruiſſet
Ponebat; vitioſaq́;
Virtutum nitidis luminibus dabat
(Nil conſcire ſibi ſueta) vocabula,

Incru-

Incruſtans malè ſancta.
O felix ter & ampliùs,
In ſanctiſq; priore ante alios loco
Dignus, qui merita perdidit has nece
Ceruas aêripedes, &
Vafras Stymphalides aues.
Multi, inter rutilos Aligerûm choros,
Mirandis titulis conſpicui forent,
Nî cælo ſe habitare
Maturè ante obitum putent.
MAGNA eſt in propriũ fraus animũ, & dolus,
Supremiſq; homines exitiis trahens,
Se hac in carne ſepultum
Iouis credere filium.
Hæc virtus cum aliis ſumma, TERESIAM
Almam, ſydereas intulit in domos,
Exors quòd vitii omnis,
Nil hîc crediderit ſibi.

Typus VI.

Hercules Calpem & Abylam montes coniunctos diuidens.

Stupete gentes inclytam TERESIAM,
Hercule terrifico, Magis stupendam posteris.
Hic, perpetratis grandibus facinoribus,
Vltra hominem validus, Montes duos vastissimos,
Velutq; fratres inuicem iunctissimos
Et loco & ingenio, Emouit è radicibus,
Fecitq; dissitos procul. Quos creditis
Quàmue pares socios, Corpus animamq;, TERESIA,
Diuulsit & discriminauit maximè:
Hoc operæ pretium est Perfectionis cyclicæ,
Dos prima puritatis integerrimæ,
Pignus honorificum, Arrhaq; futuræ gloriæ.
Hinc raptus ille perfrequens sacerrimæ
Virginis extaticus, Dum corporis de tugurio
Mens euolaret, sensuum planè inscia,
Aethereamq; domum Inuiserit, grata hospita.
Hinc Angelus vibrans calentem lampada
Assiduusq; comes; Fax cuius igne torrida
Sanctam perurebat animam, dulcissimas,
Sensibus his rudibus, obliuiones inserens.
Hinc illa visa magna, celsa, mystica,
Sermoq; cum superis, Expertibusq; corporum
Cæli incolis. Hinc illa mens immobilis,
Indocilisq; malum Animo vel ausis aggredi.
Perge age virago, plena diui numinis:
Scanditur his gradibus Cæli cacumen maximum.

Typus

Typus VII.

Hercules Centauros domans; latrones, vt Cacum & Lacinum, perimens.

NOn ſic Cẽtauros abnormes, atq; Lacinos,
Arripideſque Cacos,
Latrones patriæ, bruchoſq; meros populorum,
Monſtraque vaſta hominum,
Fuſte graui & clauâ eſt aſſueta dolare potenti
Herculis inclyta vis:
Vt caſtigabat, veneranda TERESIA, monſtra
Hæreſeωn maculis
Turpia. Nec tãtùm arguta Enthymemata torſit;
At prece flammiuoma
Et vitâ perſanctâ tetra errata flagellans,
Quàm his inimica fuit?
Senſit eam rabidus, monſtroſo ventre, Lutherus,
Bellua dira trifaux,
Obſcænus carnis defenſor, ſus lutulentus,
Beſtia ſacrilega,
Os inceſtum in ſanctos, Sodomeũque lupanar,
De Babylone noua

Mille

Mille trahens secum exitialia monstra meretrix,
Pestis Euangelij,
Fax orbis, furui inferni hostia pinguis opima,
Diabolus ex homine;
Sensit eam, grandemque tulit sine fine ruinam
Cum grege pestifero.
Nam quando ille gigas furialia bella mouere
Audet in Ecclesiam;
Exoritur sydus diuina luce coruscum,
Diua TERESIA, quæ,
Et propriis armis, natorum totque suorum,
Diruit exitium hoc.
O si olim Belial in cælo fractus ab armis
Angelicis fuerat;
Non minus hic Belial, tenebrarũ dira potestas,
Hæreticus genius,
Sternitur æterno casu per Virginem, & eius
Angelicam sobolem.

Typus VIII.

Fesso Atlante cælum fulciens.

H*Ælias typus omnium,*

Qui

Qui mundi phaleras atq; crepundia
Forti pectore despuunt.
Huic tantum tribuit cælica veritas,
Vt perfectio cyclica
Ioannis, qui hominum maximus extitit,
Sit ducta ex Heliæ schola.
Hic namq; in vetulis temporibus patrum,
Vls centena nouem ampliùs
Annorum, ante Deum carne reconditum,
Author duxq; sacerrimus
Vitæ prodierat cælitus editæ,
Carmeli (qui erat inclytus
Mons caldæ Syriæ) summa per inuia.
Híc vitæ Angelicus modus,
Et morum studium cælum erat eminens;
Sub quod præualidos dedit
Helias humeros, & nimium diu
Atlante institit acriùs;
Donec tempus edax relligionibus
(Descensum omnia sic amant)
Abrudit minimis pleraq; sub notis,
Atq; egere vicariis
Visa est auxiliis, machina syderum.
Híc spectata TERESIA
Cælum infert humeris, atq; scientiùs
Ipso versat id Hercule;
Natorumq; suorum agmina tot fouet,

Stellæ quot rutilant polo.
O multùm memorandā ac celebrem vicem:
Mutauit genus Helias,
Mutauit se Heliæ Dia TERESIA.

Typus IX.

Hercules Cerberum vinciens.

ERgo sydereas iam Domina in domos
Monstrorumq́; potens virgo TERESIA,
Vt ne quid propriis non manibus foret
Fractum, tendit ad infimos
Pallentesq́; Deos, compede triplici
Seruantem patefacta ostia Cerberum
Deuinctura; suos qui quoties vomit
Latratus, toties domus
Infernæ reboant & tremefit polus.
Hunc vinctum supero sistere iudici
Est ausa, atq; potis nostra TERESIA,
Exemplo Herculeæ manus.
O quot sunt hominum flagitiis viæ
Obstructæq; fores, mira per istius
Queis cælum petiit gesta, per arduam
Virtutem? Dedit alteri

In ſe quâ imperium; deinde ita ſe putans,
Cenſeri vt cuperet puluere villior,
(Eſſet cùm innocuis caſtior Angelis)
Atq; vltra patientior,
Quàm impartitum hominum conditionibus.
Iſtis compedibus terrificum canem
Traxit, nota polo nota bene inferis,
Mundo ſoli ebrio ſuis
Curis (quod voluit) nil fuit agnita.
QVICVNQVE eſſe cupit notus in Angelis,
Mundo ignotus agat phrenetico, ſibi
Quàm notiſſimus intimè.
Crimen non pietas eſt, opere ex pio
Ne fias minimi, quærere: maxima hæc
Patris Luciperi, vultu animum occulens,
Inferno apta ſuperbia.

Typus X.

Pandora ornatiſſima.

Deſine iam tandem vetus æuum Pentheſileas
Iactare glorioſiùs;
Nil ſibi vendicet hinc

 Quan-

Quanquã ignara viri, fundisq; assueta rotandis,
Assueta soli & pulueri,
Doctaque cornipedes
Ceruos & capreas cursu lassare fugaci
Camilla famosissima.
Delbora bella ciens
Cedat huic, cedant Atalantæ omnesq; Lacænæ
Amazonesque bellicæ;
Quæ anteiêre viros,
Ductricesq; ipsæ bellis præiêre timendis.
Et quas venusta gloria
Laudibus ingenij
Fert super astra virisque æquat sapientibus, istæ
Primas dabunt TERESIAE
Obsequioque aderunt.
Submittent veteres sua laudum aulæa Corynnæ,
Saphoq; mellis Lesbij,
Aspasiæq; Sophæ;
Ipsaque Grachorum infelix Cornelia mater
Tergum sequetur pede humili.
Hinc aderunt sociæ
Pectora lætitiis plenæ; CATHERINA sophorum
Victrix; & vrbis Romulæ
Gloria celsanimis.

Fabiolæ,

æ Fabol, i Marcellæ, Eustochia, illa adamata
Diuino Hieronymo corcula.
Ergo itaque vt veteres
Excelsis animis, sic has librisq; præibat
Plenis superni numinis;
Queis cumulata manet,
Longè egressa viros, diui sapientia sensus.
O Pallas vna cælica,
Atq; opulenta magis
Ingenio donisq; , quibus Pandora nitebat;
Vna obtinens dona omnium
Dia virago TERES.

Typus XI.

Inuidia constricta.

Spectate monstrum maximum,
Informe, dirum, perditum,
In crine carbonem, in genis
Lutum cruore luridum,
Oculis ferociter sua
Supercilia motantibus.
Monstrum recessus abditos

Animo recondens, perfidum,
Secum latenter prælians,
Obſcura, tenebricantia,
Semperq́ue tecta pectora
Circumferens; os melleum,
Cor felle plenum geſtitans;
Taciturnum, & omnia de omnibus
Captans & omnibus bonis;
Inimicum, acerbum, peſtilens.
Offert cibum vt te ſubruat
Alloquitur vt te ſubnotet,
Dilaudat vt te ſauciet,
Cõmonefacit vt exulceret,
Demulcet vt te perduat.
Fortuna tua dolor illius,
Ærumna tua vita illius,
Illi malum, tuum bonum,
Illi bonum, tuum malum.
Monſtrum hoc, lues geniti hominis,
Occaſiones quiritat,
Quibus enecet miſerè hominem,
Morteq́ue quid ampliùs velit.

Huic

Huic n omen est liuor malus,
Vespillo virtutum omnium,
Colubris caput habens obsitum,
Pectus malum, mens pessuma.
Hæc furere cepit in sacram
Viraginem, dentes feros
Vibrans, bonaque sub pessimis
Vocabulis opprobrio
Trahens, & amsancta illius
Opera remotæ nuncupans
Menti vel arti Dæmonis,
Perire eam volens, perit.
Quod, si vt homo Sanctam iudicat,
De sole talpa haud iudicat.

Typus XII.

Crux sanguine rubens.

CRVX ô crux Christi TERESIAE *magna cupido,*
Felicitatis epitome;
Vnum delicium, cor vnum, summa voluptas,
Amuletum & antidotum vnicum.
In cruce debellat quævis pugnantia contra,
Optata per crucem obtinet.

Dulcim

Dulcius huic nihil est quàm sub cruce mille cruces &
Tormenta mille perpeti.
Contemptus, dolor, angorq́;, ærumnosaq́; cuncta,
Dos crucis erat virgini.
Non aliter sponso Christo se posse probari
Nisi per cruces, certissima est.
O vos qui, IESVM vita factisque secuti,
Non irrito estis nomine;
Vestra sit optatissima dos, crux mitis IESV,
Milleq́; cruces sub hac cruce.
Quisquis diuitias & opes vanamq́; requirit
Auram, crucem istam præferens,
Aut se præferri gestit, gestitq; præire
Suæ eminentiæ expetens;
Poscit auarè aliena, sibi se comprobat vni,
Obsistit & agit perperam;
Nil tolerans, grauis in cunctos cupit esse tyrannus,
Saturq́; honoris omnium:
Ipsis principibus pro ludis reddere ludos
Quisquis amat, obtrudens malum;
Et vult magnificis se permiscere dynastis
Valere plurimùm ambiens,
Innatatq́; epulis cunctorum plenus abundè
CHristi obsonans bene seruolus;
Euacuare crucem Christi se nouerit iste,
Mundiq́; cruce se esse obrutum.

Non

Non sic non, per sancta TERESIA *sub cruce Christi*
Gemuit, suum IESVM *ambiens.*
Idcirco, cuius fuerat crux, gloria cuncta,
Inuenit in cruce gloriam.

Inuitatio Cælitum per Angelum Custodem.

O tandem venerabilis
Ad nos virgo TERESIA,
Cælo debita iam diu,
Transit, de lachrymabilis
Mundi vallibus asperis.
Huic ordo Patriarchice
Procedas agedum obuiam.
Hæc virgo est Patriarchica,
Heliæ (qui hominum fuit
Miraclum & stupor omnium)
Antiquissimi in omnibus
Cascis patribus; ipsa mens,
Et felix renouatio.
Huius germine ab inclyto,
Troiano velut ex equo,

Orbi tot data lumina,
Cæli fulgida ſydera.
Eia adſitis Apoſtoli,
Et cæleſtis Euangeliî
Diuini hiſtoriographi;
Chriſtum hæc, vociferantibus
Factis atq; libris, ſatis
Mundo detonuit malo.
Feſtinate Propheticis
Hauſtisq́; augurijs polo
Vates, facti homines Dij;
Solem induta TERESIA,
Admiranda Prophetiis,
In veſtras properat domos.
Omnis Regia cælitum,
Doctorum ardua lumina,
Confeſſorum, & amabilis
Cæli turba Quiritium;
Tuq́; inter niuea exigens
Aeuum dulce roſaria,
Tu circumdate lilijs,
Et vernans placidis roſis,

Albisq; obrute floribus,
Ornatiſſime virginum
Cætus. Vos quoq; Martyrum
Cordatiſſima in vltimum
Punctum temporis agmina,
Dira veſte rubentia;
Atq; in ſanguine proprio,
Per tormenta Buſiridum
Pro Chriſto fluitantia.
Eia exite morâ procul,
Iam iam noſtra TERESIA
Confeſſoribus igneo
Ore & corde ſimillima,
Doctorum æmula maxima,
Fax clariſſima Virginum,
Germana vnica Martyrum,
Omnis Martyris omnia
Tormenta (ach nimis) expetens,
Magnorum tolerans diu:
Iam terris parat exitum,
Iam cælis reditum innouat.
Eia exite morâ procul

Vos Archangeli, & omnium,
Per ſubſellia diſſita,
Multis millibus ordinum,
Candens Aligerûm chorus.
  Eia proni agite, & greges
Veſtris de ordinibus date.
  Eia effundite vos polo,
Atque examine plurimo
Cunctam ambite TERESIAM,
Alas ſubdite præpetes.
  In veſtris humeris ouans,
(Sponſi torrida amoribus,
Et languens niſi eum occupet,
Languens morte valentiùs
Sponſum vt poſſideat ſuum)
Vult ſponſus veniat ſua,
Flammans igne TERESIA;
  Mergat ſe Oceano ſuo:
Hoc torrente ſe inebriet,
Potet flumina nectaris,
Omnis Ambroſiæ, omnis &
Mellis, iuncta ſuo vnico,
Dilectiſſimo ah omnium.

Spon-

Sponſus inuitat Diuam TERESIAM.

O tandem mea, tandem amica ſurge,
Surge ad me mea tu columba ſurge.
Obe iam ſatis eſt moleſtiarum,
Iam angorum ſatis, & ſatis laborum.
Huc ad me mea tu columbula vna,
Vnum deliciumque, corculumque,
Dulcedo mea, ver meum, mea æſtas,
Selectiſsima vineæ meæ vua;
Fragrantiſsime de hortulo meo flos,
Agri ſuaueolens mei maniple,
Præcellens triticum, optimumque vinum,
Multò maxima portio meorum
Sudorum, quibus abluiſſe mundum
Iam non pænitet vſque & vſque prauum;
Sat rarum pretium crucis cruentæ,
Fuſi ſanguinis vna gutta felix.
Dilecta ô mea ſponſa, ſponſa cara,
Oſtendas faciem tuam mihi, vox
Sponſæ perueniet meas in aures,
Dulcis nam tua vox, genæ decoræ;

De foraminibus petræ columba,
Et de macerie cauernâ amica
Hem surge, & propera, veniqúe Sponso.
Hyems frigoribus geluque dura
Iam pertransiit, imber en recessit,
Dispulsæ periêre tetricæque
Nubes, iam rediêre amænitates.
Gratis floribus ista terra vernat,
Tempus iam hîc placidæ putationis,
Vocem turturis audit ista terra,
Grossos protulit hîc ficus suos, hîc
Florens vinea flat suos odores.
O quàm pulchra es amica, quā decora es,
En tui veluti columbæ ocelli,
Coccinum in labio tuo venusto,
Mel in eloquio tuo suaui,
Genis punica mala purpurascunt,
Collum turris eburnea & polita,
Maturo vbera pulchriora vino,
Vestimenti odor, ô quàm odor tenellus,
Celsa est, palma velut, decens statura,
Vnus tu es paradisus, vnus hortus,
Dulcis sponsa, soror mea atq; amica.
Hîc mellila mea, hîc cyprus, crocusq;,

Hic Co-

Hîc coſtus, malobathra, balſamumq́;.
Sed iam fac age ſcande amica, ſponſa,
Sicut virgula fumi odoris, altè
Inferentis Olympicas ſe in arces,
Ex myrrha, ex thymiamate, exq́; thure:
Aſcende & propera in ſinus amantis.
O dulcis mea ſponſa, amica dulcis,
En veſtis tua diſcolor coruſcat;
En & calceus eſt ianthineus;
En byſſus, polymita, duplicesq;
Armillæ in manibus tuis nitebunt,
Aurem pendula inauris illigabit,
Torques aurea collo in emicabit,
Stellatum diadema, plenum honoris
Verticem ambiet, atq́; in hoc ſedebit;
Obryzo omnia fulua erunt ab auro,
Argento atq́; monilibus rigebunt,
Solis omnia more fulgurabunt.
Eia ſurge Aquilo, veniq́; tu Auſter,
Hortum afflate meum, meaq́; ſponſæ
Ventulum date: ſic meam TERESAM
Perennante Fauonio beate.

Currus triumphalis Sanctæ TERESIÆ.

Ergo iam egreditur terris venerāda virago,
Pro meritisq; suis magno mirāda triūpho,
Aligerùm densis humeris infertur Olympo.
Vndiq; circumstant Diuorum millia Diuam,
Passim quisq; suis testantur gaudia signis,
Certatimq; illam curru sublimè sedentem
Deducunt in magni sancta palatia Regis.
Currus erat solio spectatus desuper alto,
Quo pulchrę celeresq; ibant niueæq; quadrigæ,
Quattuor hæ dotes, olim quæ corpora cælis
Sācta vehent, æternùm animę iungenda sodali.
Ecce sed in celso Regina TERESIA curru
Incipit æuū agitarę manens sine fine modoque;
Insignisq; suo diademate, plena decoris,
Temporis æterni fert signa in vertice stellas.
Aurea vestis erat, gemmarū ardore corusca,
Plurima quæ, à summo nexu variata plicarum,
In terram plena cum maiestate fluebat.
Dextra triumphalis lauri, lęua inde ferebat
Victricis palmæ speciosa cacumina ramos.

Ipsa Dea

Ipſa Dea arridens blandùm, ſua lumina cælo
Fert, oblita ſui deſiderijsq; fatiſcit,
Et ſpõſi, ach ſponſi langueſcit amore potẽti.
Interea dum tecta petit rutilantis Olympi,
Et corpus viduum mẽs illa beata relinquit,
Agmina dẽſa domũ circũſtãt (quæ, vna ſororũ,
Aera dum implebant, oculis bene circumſpexit)
Fama eſt, millenos decies feciſſe ſupremum
Officium, mortem Chriſti pro nomine paſſos,
Quos Diua impenſè noctesq; diesq; colebat.
Hìc iam fragrãtes, thymiamata cęlica, odores
Lilia cum violis, nardo, caſiaq́; roſiſq́;,
Efflabant viuos ſancto de corpore ventos.
Scilicet hoc meruit ſacra manſio ſpiritus almi,
Virgineiq́; decus, caſtiſſima corda, pudoris,
Omnes vt flores illuc ſpiramina ferrent,
Et natum putidum, eſſet vt immortale cadauer.
Quid quòd magna ſacri præſẽtia numinis illis
Artubus adſtabat, gelida etſi morte ſtuperent?
O quot, peſte graui, diuerſoq́; agmine ſeptos
Morborum, eripuit virgo hæc, ſubitòq; leuauit?
Reddidit auditum ſurdis, oculosq́; tuentes

Orbatis luce hac dedit, & quos vlla ſalutis
Praua lues, febrisq́; aut vis inopina teneret;
Imò qui effoſſo æternùm manſiſſe ſepulchrô
Debuerant, primũ hos vitæ reuocauit ad vſum
Si modò ſacrati tangendi corporis eſſet,
Cum iuſto in Diuam affectu, facta poteſtas.

Talis honor decuit ſacratos virginis artus,
Cuius mens celſo nunc exaltatá triumpho
Miſcet ſe Superis; Triadisq́; ingreſſa tremendæ
Auguſta atq; amſancta ſacraria; plena repletur
Vbertate Dei, torrentibus obruta plenis:
Prædulci & ſponſo, thalamo ſociata iugali,
Æterna æternis agit æuum illius in vlnis.

Sponſa Diua TERESIA ſuum alloquitur Sponſum,

OHe iam te poßideo, iam ohe te
Sponſe mi dulcis teneo iam ohe te,
Omnium ſuprema beatitatum,
Omnium dulciſſima amænitatum,
Omnium grandißima fauſtitatum,
Fauſtitas, dulcedo, beatitasq́;.
O he iam te perfruor, in tuisq́;

Oſcuisl

Osculis vlnisq; perenne seclum
Viuo, nullo vnquam ferienda casu,
Omnibus roransq; bonis fluensq;.
Eia circumponite floribus me,
Liliis vallate, rosisq; Hyblæis
Me ocyus; nam langueo sponsi amore,
Cuius à desideriis peribam,
Nunc sub vmbra eius latito, meoq;
Gutturi fructum inde propino dulcem.
Eia adeste & lætitiæ fluenta,
Mella, quæ torrentibus obruunt me,
Vastiora ipso Oceano, stupete.
En meum inueni, mea quem vnicè mens
Diligit, supra omnia quem poposcit
Cor meum; inueni & fruor, bem cupito
Vno & ô quàm delicio sitito.
Illius nunc meridior sub vmbris,
Eius auratos spatior per hortos,
Eius halantes tepeo inter auras.
Gaude & imis lætitiis triumpha
Hoc die sponsi mei, amica sponsa.
Vt solet quando horrea plena spectat
Messor; vt miles spoliis beatus;
Vt tener capræ hinnulus à parentis
Vibrat assultum vbere, subsilitq;,
Transuolans colles tenerosq; montes;

Sponse mi, dilecte mi, amice mi, ô quàm
Pulcher es, totusq́; decore amictus?
En tui fulgorem agitant ocelli
Vt columbæ iuxta fluenta aquarum
Lacte lotæ, aptéq; parantis alas.
Optimum aurum eius caput, & capilli
Aureæ auroræ roseo nitore
Fulgurabant; in labiis manebat
Lilium myrrhæ, eiaculans odores.
Vestis aurorans niue liliata
In genis sol ipse habitãs coruscus,
Corporis, tanquam Lybani, statum,
Vt cedri electæ species honora;
Nomen eius fusum oleum salutis,
Nubium currus equitatus eius,
Pulchritudo omnis, decor omnis, omne
Quod stupescas, & quod ames, colasq́;.
Omnis hîc ignem minitans pyropus,
Syderis candorem adamas figurans,
Et virescens pulchrùm habitat smaragdus;
Quicquid & lucis datur & diei,
Omne id in sponsi specie enitescit.
Ergo Reginæ stupuêre miram
Indolem sponsi, & iuuenes tenellæ
Igneo in sponsum incaluêre amore.
Quis mihi det, quis mihi det meum te

Vnicum

Vnicum fratrem vberibus fruentem
Vnicæ matris. Trahe post odorem
Me tui vnguenti; omnia poma pro te
Et noua asseruo & vetera: ampliùs me
Vsq; & vsq; ad te trahe sponse amorum.
Eia iam myrrham simul ac aroma
Messui; cum melle meum fauum edi;
Iam bibi cum lacte meumq; vinum.
Eia amici chari epulemur ~~& bibamus~~ eia,
Hauriamus plenum, & inebriemur
Nectare augusto, Ambrosia perenni.
Sponse mi, dilecte mi, amate amor mi,
Ignis ac ardor mi, & in æuiterna
Secla consumatio plena pacis.
Pone me vt signacla supra tuum cor
Pone me vt signacla supra tuumq;
Brachium; nam langueo amore multo.
Fortior quàm mors tua charitas est,
Fortior dilectio quàm sagittæ
A Gigantum viribus euibratæ:
Lampades eius validæ atq; acutæ,
Lampades ignis rapidè vorantis
Omne, quod flammam venit in furentem.
Sponse mi, dilecte mi, amate amor mi,
Ignis mi ac ardor decume, æuiterne,
Semper eliquabor ab hoc tuo igne,

 Atq;

Atq; in his foraminibus manebo,
Sempiterno & vulnere sauciata,
Vulneris iam in vulnere opem requiram.
Sponse mi, omnes deliciæ perennes,
Vsq; te ardebo, loco amabo te omni,
Nec te in inferno quoq; non amarem
Vls perennis temporis omne punctum,
Vls chaos æui, vlsq; profundam abyssum
Seculi æterni, sine fine fixi;
Donec extas tu Deus & manebis
Orbis immensi vnicus imperator,
Tu Deus languor meus, ô cupitum
O meum desiderium sititum.

Turmæ suam ductricem sequuntur.

Roma superba olim magnis celebrata triũphis,
Quãdo Imperator vrbem inibat tripudians,
Post tergum ipsius densissima signa videbat,
Omnemq; militem Imperatoris boni.
Aspicite ecquantas dux alma TERESIA turmas
Post se trahit, quàm gloriosum militem
Ducit in excelsum, cælestia sydera, Olympum?
Hi pauperem nudumq; Christum, pauperes

Etnu-

Et nudi, haud veſtigia per vitiata ſequuntur:
Mundiq́; proiectis ſemel crepundiis,
Non agitãt ſummo vapulãdos cum Ioue ludos,
Nec ſimias in purpura imitari ſolent.
Vt cygni atq; grues altiſſima culmina quærunt,
Aut arborum, aut celſiſſimarum rupium,
Vt nidos iſtic faciant, vitamq́ue remotam
Teſte exigant cælo, procul ſtrepitu hominũ:
Et procul à turbis, procul à farragine vulgi.
At paſſeres tritici publica calamitas,
Aularum furuis, plenis nidore, caminis,
Fumum inter & paramina varii cibi
Vitam agitant, nõ tecta hominũ, non grana re-
Nóſtræ aëriæ grues cygniq́; cælici (linquũt.
Celſa petunt, cæloq́; ſuas, facta omnia, curas
Figunt, reperti inter homines natos Dij.
O felix iſtis vaſti orbis machina cygnis;
O & beata & tuta noſtra his Lechia.
Hiſce per immenſum nidos facientibus orbem,
Perdẽt ſuam vim nigra Pythagoræ mala.



CRACOVIÆ,

excudebat Matthias Andreouienſis:

ſumptibus Generoſi ac M. Domini,

D. BARTHOLOMÆI NOWODWORSKI,

Equitis Melitenſis, &c.

Anno D. 1622.